



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Nonus. In superiori regione Contemplator negans meliores fruitiones vt plurimum consequitur, vsque ad initium priuationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

sticæ, ad nunc præsens & instans. Atque tum similibus operationibus ad quietem contemplationis pertinentibus, fruitionem diuinam ordinato progressu incipiet, ac iucundè admodum continuabit, incipiendo à minimis per media vsque ad summa, vndè consequenter dicitur,

Contemplationem negatiuam etiam paulatim ab infimis ad medias & superiores fruitiones Ascendere.

ARTICVLVS OCTAVVS.

QVod si mysticus contemplationis negatiuæ, (vt dictum est) operationes suas triplici distinctione digesserit; animaduertet pariter, se in initio status contemplationis aliter, quam in progressu, & in summo perfectius, regionem contemplationis percurrere. dum enim fortè tribus (plus minus) annis, ad statum suum conformiter operatur, in initio contemplationis negatiuæ reperiet sinceras, & animosas tendentias, per quas & creaturas, & ea, quæ ad intra habere videtur, transcendit longè supra seipsum; at in medio paulatim vicinior effectus ijs, quæ supra se conspexerat, ipsam suam interioritatem quoque eleuatam mirabitur, & inferiora sub se videbit: In summo autem prius eleuata, sibi penè equalia habebit, in ijsq; simplicem figet aspectum tanquam qui in alto monte habitaculum suum construxerit; etiam ijs, quæ in medio ante fuerant, in inferiori constitutis. quod autem hæc admodum iu-

cundè fiant, quando spiritus in summo depuratus fuerit, consequenter dicitur,

In superiori regione contemplator negans, meliores fruitiones vt plurimum consequitur, vsque ad initium priuationis.

ARTICVLVS NONVS.

SPirituale illud solatium, quo omnium mysticorum animi à transuentium rerum affectu absconduntur; contrario quasi progressu in statu contemplationis accidit. Contemplatores enim affirmatiui, cum amorosis tendentijs ab ipso exordio internæ exercitationi vacent, similibus blandimentis vsque ad superiores operationes contemplationis demulcentur: in ipso tamen summo non vsq; adeò benè affecti propter affectuosas tendentias, nondum sufficienter ad puras operationes spirituales, depuratas. At contemplatores negatiui, cum modico solatio tempore meditationis, aspirationis, & contemplationis in inferiori regione affecti fuerint, vel quod aridioris humoris sint, & naturæ, vel quod solatijs amorosis inferiorem hominem frui non permiserint, continuis transcendentijs sensitiua deprimentes, tandem in media, & superiore regione, quasi collectum thesaurum spiritualis solatij inueniunt: in eoque tanquam in propria sphaera circumuolitantes, spiritualiter spiritualia, & mentis pulchritudines, subtiliori lumine percipiunt. Vix etiam dein, si ad vltiora procedunt in statu priua-

a Vt latius 2. p. Dec. 6.

priuationis molestiam sustinentes: nisi in medio, in quo omnium affectuum, & operationum actiuitas perit: tam scilicet in negante, animosa resignatio, aut transcendentia, quam in affirmante solatij mystici blandimentum. vt autem, quæ hucusque de contemplatione negatiua diximus, facilius in praxin redigantur, consequenter apponitur.

Synopsis status contemplationis modi negatiui.

ARTICVLVS DECIMVS.

Ascendet a homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. quasi diceret, ô pia anima, quæ non amplius sensibili amore detineris; at sursum erigeris, firmoque animi intuitu diuina contemplaris, absque sensibilibus deuotionis blandimento, virili constantia prosequens, quidquid mortificationis, virtutis, & ariditatis iura exposcunt; quæque ea, quæ sunt, tanquam ea quæ non, aut nihil sunt transgredieris, (probe sciens, quod in solo Deo Totum, & omnia eminenter haberi possint) ascende confidenter ad cor altum, & à sensibilibus separata, per fidem, spem & charitatem, sensus omnes, & ea quæ sunt, & ea, quæ non sunt, relinque. atque ita videbis, quam Deus sit super hæc omnia exaltatus, vt illius eminentissimo Bono abstracta, iure merito non tam terrena, & inferiora reijcere, aut deserere, quam, vt potè spirituali creaturæ imparia, & negligere, & ignorare habeas.

Cum autem Deo ita eminenter con-

iuncta fueris, non amplius vtaris modo negationis, ne omnem bonum actum negando, omni tandem bono te ipsam destituas, sed Diuinitatem exaltatam collauda; & triplici distinctione, qua per verba mystica ipsam diuinam illam coniunctionem absque studiosa reflexione, & ex natura, ac conditione ipsius interioris visus, seu intuitus, quasi dentibus spiritualibus masticas, & degustas, perfructe. Idque non tantum in actibus transeuntibus pro hic & nunc, sed etiam paulatim inferiorem contemplationis regionem ascendendo; vt illa regio, quæ immediatè supra, & media erat, etiam ascensu tam spirituali tibi æqualis fiat: quo ita etiam summam spiritus regionem, & consequaris, & perlustras, & sic certè in regione scilicet superiori, admirandum in modum tibi exaltabitur Deus, & ea, quæ in inferioribus negata fuerant, diuinæ præsentis blandimenta, quasi in thesauro congregata inuenies, non iuuenili tamen affectu, & sensualitate: sed quæ digna sit (ad spirituales animam) Dei complacentia.

Longo ergo conamine ascende ad cor altum, vt in te Deus exaltetur; nec inconstanti mutabilitate commotus, ab ascensu, & spirituali progressu, abstineas: attamen si longa experientia, & prudentis mystici iudicio didiceris, diuino proposito vltiorem statuum ascensum tibi interdici; saltem ab omnibus, quæ mala, & vitia esse noueris, abstineas; & pro vt poteris te ipsum à terrenis eleua; vt saltem gratia, & virtutum

M 2 tum

a Psal. 63. b Inf. Dec. 9.